

/ Illustris, et Reverendissime Domine. Valde miror Sanctam humili-
tatem Illustriss. Dominationis Vestrae: nam cum sit prudentissima, ac
rerum istarum habeat experientiam, et praesens sit; descendit ad pe-
tendum consilium a me, qui nec tanto judicio polleo, ut ipse pollet,
5 nec harum regionum experientiam habeo, a quibus longe absum. Verum ne
videar nolle me obsequi voluntati tuae; dicam quod in hac re mihi
nunc occurrit. Ego igitur censeo Parochos haereticos, de quibus Il-
lustriss. D.V. loquitur, tantum esse subditos in spiritualibus: nam
quando etiam in temporalibus essent subditi; tolerare eos non debe-
10 ret, sicut nec tolerat Seren. Bavariae Dux, imo Principes haeretici
neque ipsi Parochos Catholicos tolerant in suis terris. Cuperem eti-
am scire, an populi, qui hujusmodi parti subduntur, sint Catholici, an
Haeretici? Nam si populus esset Catholicus, omnino deberet sub gra-
vibus censuris inhiberi, ne ad Conciones haereticas accederent, et
15 multo magis abstinerent ab eorum coena. At si populus sit haereti-
cus, quod verosimilius videtur; nullum aliud apparet remedium, quam
orare pro illis Deum, summaque industria, ac diligentia incumbere, ut
ad Christi ovile tam Parochi, quam populi reducantur, agendo cum il-
lis benevole, ac peramanter, et verbis, et factis. Juvaret etiam mit-
20 tere ad illos viros pios, et doctos, qui persuaderent fidei Catholi-
cae veritatem: et curare, ut inter illos pii, ac eruditi libelli dis-
tribuantur, permittendo reliqua Divinae Providentiae: pastor enim,
qui invenit partem sui gregis corruptam, atque in faucibus luporum;
tantum tenetur agere quod potest, ut suas oves a periculo liberet, et
25 lupos abigat. Quod si non valet perficere; Deus bonam voluntatem re-
cipit: et qui fuerunt in causa tantae perditionis, propter incuriam;
jam a Deo judicati, experientia didicerunt, quantum Divinam Majesta-
tem offenderint. Ego vero Divinae Bonitati ex corde gratias ago, quod
ad istam Dioecesim miserit Pastorem adeo pervigilem, et charitatis ze-
30 lo flagrantem, qualis est Illustrissima D.V. cui a Deo bonorum omni-
um datore rogo perfectam custodiam, et augmentum totius gratiae spi-

30 sept.1614. Bell.à l'év.de Bamberg (contin.)

1476^a
3976

/ ritualis: Sibique ꝑpersuadeat, me fore semper paratissimum ad imperia sua in rebus gravioribus: meretur enim Illustrissima D.V. hoc obsequium non solum a me, sed etiam ab omnibus Dei servis. Vale.
Romae 30.Septembris 1614.

5 Epist. famil. CXV.

Version italienne:

Summar.addit. p.73; Volumen Jurium fol.25. (ex minuta epist.responsivae)